



[Faint, illegible handwritten text on aged paper]

2
2
2
2
2
2
2
2
2



1678.

20. Mylius, Andreas: De contractu libellaris
21. Pachelbel & Gehag, Walf Gabriel: De prohibitione
nuptiarum in gradibus secundae lineae inaequalis.
22. Philippus, Fridericus: De relocatione et reconductione
facita.
23. Richter, Gertfredus: De rerum divisione et modis
earum dominium acquirendi.
24. Romanus, Casparus Theophilus: De nocte.
25. Schilterus, Gotofredus: De syndicis.
26. Schilterus, Gotofredus: De redditione rationis
- 27^{9. 10.} Schilterus, Gotofredus: De sabinpendatione
2 Simpt. 1678 - 1741.
28. Schrencken Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De privata defensione
29. Schrencken Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De jure noctis.

1678.

30. Schenken den doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus 9c

licitatione


31^{9^{te}}/₂ Schenken den doerfferus, Bartholomaeus Leonhardus 1c

De praescriptione incorporatum.

32. Thomaeus, Jacobus: De Petro Vesudasi.

c
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

1770
MAGISTRI
MAGISTRI
EXTRACTU
LIBELLARIO
ESSENTIA
Summa... Doctoris
M.D.C. LXX. ANNO
M.D.C.C.
MAGISTRI
MAGISTRI



178

Abhandlung über die ...

... ..

Abhandlung über die ...

... ..

179. Thesen ...



1708.

1678, 23

4-

4

DISSERTATIO
 JURIDICO-HISTORICA,
 DE
RERUM DIVISIO-
NE, ET MODIS EARUM
DOMINIUM ACQVI-
RENDI.

Prout ex Jure naturæ, & gentium descen-
 dunt, & quid moribus passim receptum,

Quam

Ex Decreto & autoritate inclytæ
 Facultatis Juridicæ Lipsiæ,
 Eruditorum æqvæ & placidæ
 Censuræ,

Exponit,

Godofredus Richter / Hartensteiniô-Misn.

J. U. Cand. & p. t. Poligr. Reichenbachi.

Anno Salutis

M. DC. LXXVIII.



CTGNEÆ,

Typis SAMUELLIS EBELI.



DISSERTATIO
IURIDICO-HISTORICA
RE RUM DIVISIO
IN ET MODIS EARUM
DOMINIUM ACQUI-
RENDI.

Prout ex Jure naturæ & gentium descen-
dit, & quid in his partibus receptum

Ex Decreto & auctoritate inclitæ
Facultatis Jurisconsultarum
Hæreticorum prætorum & placidæ
Censuræ

Godofredus Richter / Hartenstedt's-Missa.


J. U. Cans. & p. r. Polige. Reichenseltz.

M. DC. LXXVII.



CTGNE F.

Typis SAMUELIS EDELII.



AUSPICE CHRISTO!

PRÆFATIO.



Erissimè scriptū reliquit Phœnix ille legum Ulpianus ostensurus utilitatem juris civilis *in l. ff. de leg. quando scribit: totum jus, inqviens, consistit aut in acqvirendo, aut in conservando, aut in minuendo &c.* Quod ipsum Juris Romani conditores probè observasse, ex communi eorum, quâ usi sunt methodo, luculenter apparet: Et certè habendi cupida hominum natura, uti rem suam amittendi occasiones fugit & vitat, ita bonis acqvirendis & conservandis inhiat ac pertinaciter insistit. Quia verò

non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri;
idcirco modos suppeditarunt varios, quibus id, quod legitimè acqvissimus, legitimè quoque tueri possumus. Hinc multa inseruere de acqvirendo rerum dominio. *J. ff. de acqvir. Dom.* Cum autem materia hæc una ex iis censeatur, quas frequens & celeberrimus commendat usus, adeoque cognitu valdè necessaria, tum propter subtilitatem, quàm summam utilitatem: illam siquidem per multas juris materias non tantum amplè diffusam esse, sed & illius cognitionem multarum legum exactam intelligentiam secū adferre, imò



DISSERTATIO

4
in foro vitâq; communi tranquillitatem publicam, hominumq; inter se naturalem societatem conservare, peritorum neminem latet. Ideoq; hac causâ velut blandimento quodam ductus, non laudis aut gloriolæ cupidine (absit talis suspicio) hanc selegi materiam utilem & in foro frequentem, innisus autoritate Imperiali *in prin. Nov. 46.* ac operæ pretium me facturum existima- vi, si in illius essentiam paulò obnixiùs inquirerem, deq; ea quædam, quantum per temporis angustiam & tenuitatem ingenii mihi licitum fuerit, breviter proponerem. Si autem prætermissum quicquam, aut superfluum in iis invenitur, sive levi Minervâ proponitur, benevolus Lector benignè excusabit, sciens Divinitatis potiùs, quam humanitatis esse, cuncta scire, omnibusq; horis æquè sapere ac in nullo penitus errare. *arg. l. 2. §. 14. Cod. de veteri jure enucl.* Sine longiori itaq; verborum anfractu in NOMINE DOMINI N. J. C. qui res penitus desperatas donare & consummare virtutis suæ magnitudine potest. *Inst. §. 2. de concept. Digestor. sit.*

POSITIO I.



Mortalium vetustissimi olim, uti nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, & scelere, eoq; sine pœna & coercionibus agebant. *Tacit. 3. annal.* Ita sine proprio & habendi cupiditate communia & indivisa habebant omnia, quasi unû cunctis patrimonium esset. *Justin. lib. 43:* Communis enim fuit

JURIDICO-HISTORICA.

fuit omnium possessio, una omnium libertas, & acquisitio eorum, quæ coelo, terra mariq; capiuntur. Imò quisque hominum statim ad suos usus, non quidem impulsu præcepti divini aut naturalis cujusdam, sed ex eo, quod nemini proprietas rei speciatim fuit addicta, arripere potuit, quod voluit, quæq; consumi potuerunt, consumere. Et negant omnes scriptores communes, eo tempore campos limite partitos aut commercia fuisse ulla, tunc:

*ne signare quidem, aut partiri limite campum
fas erat. Virgil. Georg. 1. Et
pervium cunctis iter;
communis usus omnium rerum fuit.*

Seneca in Octav. act. 2. Sic Horatius:

*Nam propria telluris herum, natura nec ullum,
nec me, nec quemquam statuit.*

Aureum istud & beatum seculum maximoperè ab humanioribus scriptoribus de prædicatur, quo homines nihil aliud, quàm quod terra ubere foetu producebat, propter maximam abundantiam rerum concupiscebant ac se invicem juvabant. Quo sensu naturam ~~nonnullam~~ id est societatem & communicationem rerum & personarum quoad usum tacitè constituisse non absurdè statui potest. Postquam autem discordia compages rupit charitatis, collectosque à labore fructus consumere vellet desidia, aucto hominum numero ac crescentibus hominum cupiditatibus, ab illa primæva rerum communio-

DISSERTATIO

ne ipsa naturâ permittente est discessum, coepitq; libido sibi ut proprium & suum habendi, quæ in tantum excrevit, ut regimen & dominium proprium in res sibi affectaret, & ita certi modi ad acquirendum introducti. Hinc temporum tractu jura prodierunt, coepitq; inter homines rerum esse divisio, ac placuit discretis gentibus Regna condere, dominia distingvere, agrisq; terminos ponere, commercium, emptiones & venditiones institueret. *Hermogenianus lib. 1. Epit. ex hoc 5. ff. de J. & J.*

POSITIO II.

SED an id rectè factum? controvertitur. Negavit Plato, *Aristot 2. & 3. polit.* post eum Apostolici, *Aug. bar. 40.* Nicolaitæ, & Patrum memoriâ Anabaptistæ: *Lentulus de Rep. p. 1.* quæ sententia moribus quoq; variarum gentium turpiter recepta est, ut & uxores voluerint communes esse. De Britannis scribit *Cæsar lib. 5. de bello Gallico: uxores habent deni, duodeniq; communes & maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis, & si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi à quibus quæq; virgines ductæ sunt.* Idem de quibusdam Americæ populis, Essenis Pythagoristis refert *Grotius lib. 2. de jure bell. & pac. cap. 2.* & quidem confidenter statuit, potuisse illum statum communionis durare, si aut in magna simplicitate quædam perstitissent homines, aut vixissent inter se quædam eximiâ charitate. Sed quia à cœca gentilitate neque damnata hæresi neque

extre-

extrema feritate seu juris seu victus exempla petenda non sunt: Rerum divisionem non licitam tantum, sed & salutarem generi humano fuisse, amplius dubitandum non est. Quicquid enim ad societatem bene constituendam ac concordiam in ea conservandam non modo est utile, sed & necessarium visum tot nationibus, illud humanæ societati & rectæ rationi non refragatur: Atqui, divisio bonorum necessaria est ad societatem bene constituendam &c. Ergo. *Andr. Rivetus in explic. Decal. p. 356. Hugo de Roy lib. 1. tit. 5. n. 8. 9.* Licet verò jure donationis à Deo Adamo, & per hunc in universum genus humanum, dominium universale sit collatum, & dominium sit foetus juris naturalis, domania tamen particularia, hujus vel illius Reipubl. non sunt à natura, sed acquiruntur facto hominis interveniente, vel ex dispositione legis.

POSITIO III.

Jure igitur summâ partitione res distinguntur, quod sint vel in-vel extra commercium, quod definimus cum *Ulpian. tit. 19.* esse emendi vendendique potestatem: extra quod sunt sacra, sancta, religiosa, quæ neque actu neque potestate in patrimonio sunt hominum: sic verò communia, publica, universitatis & singulorū. Communia definiuntur, ea esse quarū proprietas actu nullius est, usus autem omnium gentium. Publica verò sunt

DISSERTATIO

sunt, quorum proprietas certi est populi, usus omnium, qui de illo populo sunt.

Res autem *b. l.* non consideratur ratione suæ substantiæ & quoad qualitatem intrinsecam, sed ratione qualitatis extrinsecæ, quatenus cives in ea Jus aliquod habent, & quatenus circa eos Jus & Justitia potest & debet administrari. Præterea hoc loco rei vocabulum non sumitur generaliter sed specialiter, quatenus personis & actionibus opponitur & omne id significat, quod ad jus personarum & actionum non pertinet *S. fin. in Inst. d. J. N. G. & Civ. l. i. ff. de Stat. hom.*

POSITIO IV.

Veniendo ad species dicimus res sacras esse, quæ ritu solenni per Pontifices Deo consecratæ sunt. Quorum primus omnium Romæ à Numa Pompilio creatus est Marcius, Marci filius, simulq; factus Judex ac Arbiter rerum divinarum ac humanarum; quod portentum fuit urbem Romam majestate Pontificiâ olim gentibus in sacris impetraturam. *Polid. Virg. l. 4. c. 14. de invent. rerum.* Et quamquam etiam Romani Principes Pontificum munus usurpasse legantur, ut eò augustius redderetur imperium, hodiè tamen nihil pro sacro habendum est, nisi quod per Episcopos orthodoxos solenniter Deo sacrum factum est. Cujus generis sunt Basilicæ (Basilica eine Thum-Kirche/quod nomen scriptores

res

JURIDICO-HISTORICA:

res Ecclesiastici tribuunt ædibus sacris magnificentioribus) calices sacri, & vestes, quarum alienatio aut oppignoratio extra casus exceptos nulla est, *l. sancimus 21. C. de sacrosanct. Eccles. & tot. t. Decret. de rebus Ecclesiast. non alienand: Extravag. ambitiosa eod.* Ponit autem exceptionem magna necessitas, quando ære alieno Ecclesia premitur: tùm enim aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget in pauperes, subveniatq; in necessitatibus, præsertim fidei consortibus, *Can. aurum 12. q. 2.* Et hæc exceptio etiam locum habet, si alienatio Ecclesiæ sit utilis & proficua *Nov. 7. c. ut autem 2. §. finimus.* Prædia hortiq; Ecclesiastici quamquam alienari prohibita, sacra non sunt, sed neq; hastæ, vexillæ & clypei, quæ voti exolvendi causa templis & aris appenduntur.

POSITIO V.

Sancta sunt ea, quæ sanctione quâdam ab hominum injuriis munita atq; defensa, & quodammodo divini juris sunt: quales erant apud Romanos Tribuni plebis, quia eos sine capitali piaculo violenter attingere non licuit: quod effecit Brutus, qui ad vocatâ concione autor Quiritibus fuit, ut Magistratum hunc non lege tantùm, sed & jurejurando inviolabilem redderent; Ideò placuit Principibus Tribunitiam potestatem assumere, uti de Augusto & Tiberio refert *Tacitus lib. annal. Ut sacro-sancti essent.* Est & sanctum imperium, portæ

B

item

DISSERTATIO

item & muri civitatum, quos propterea Athenienses in luctu publico pannis nigris obtegere consueverunt; quod & factum tunc, cum classis illorum in mari Siculo naufraga periisset. *Diodor. Siculus lib. 20.* Similiter Ephesi cum obsiderentur ab hostibus, funem à foribus templi Dianæ ad moenia urbis suspenderunt, quasi illa solius Deæ juris essent: *Münster. Cosmograph. universal. lib. 5.* ut proinde capitale habeatur muros transcendere, aut violare, prout & capitale habuit Romulus, qui ob hanc rem Remum fratrem neci tradidit. *Livius lib. 1.* An legitimè, valde dubito, quia Romulo videbatur utilius solum, quam cum altero regnare, ideòque fratrem internecavit, & in eo pietate & humanitate omissa muri causam opposuit, speciem honestatis nec probabilem nec satis idoneam, adeoque Romulum peccasse docet *Cicero Offic. 3. f. 125.*

POSITIO VI.

EX dictis consequens est illud nemini privata auctoritate licere civitatum muros destruere, aut destructos reedificare, præsertim si ob crimen aut rebellionem populi vel ob causam Reip. utilem dejecti sunt. Quâ ratione Lysander captis Athenis muros ex consilio Ephorum diruit, ut Rempublicam libertati donaret, *Plutarch. in Lysand.* & Carolus Magnus Civitatis Pampilonæ in Navarreo Regno, ne rebellaret. *Annales Pipin. & Carol. M. Anno 778.* Eodem prætextu
inim-

inimici Judæor: prohibuerunt Artaxerxem ne reædificaretur templum Hierosolymitanum tempore Serubabelis; *Esræ c. 4. v. 13.* An autem è Republica sit, esse plures in ea urbes munitas, certant Politici inter se acerrimè. Infitiandum quidem non est optimè responsum fuisse ab Isæo Lacedæmoniis, de urbe mœniis cingenda per recitatum Homeri versiculum:

Scutum basit scuto, galea galea, atq; viro vir. cum hâc adjectione: sic mihi state Lacedæmonii, & muris cincti sumus. Philost. in Sophist. Et Ischolaus cum in Drye oppugnaretur à Chabria volente admoveere arietes ad dirimendos muros, prior ipse eos dejecit, ut sic fortius pugnarent sui. *Polyæus lib. 2. strateg.* Et videtur probari posse his argumentis, quia muri urbium cives reddunt partim ignavos & otiosos, partim securos & confidentes, confirmat *Bodin. lib. 5. c. 5. de Republ.* Hanc sententiam exemplo Tartarorum & Æthiopum, qui nullas habent arces, nullas urbes, ac ne oppida quidem vallo munita, sed in tentoriis tantum totam vitam agunt, & tamen maximis imperiis ac bellicis laudibus clarissimi putantur. Quamobrem nec Reges Anglorum nec Moschovitarum rusticas domus turribus aut propugnaculis, ac ne vix quidem vallo fossâq; muniri patiuntur, ne sit occasio rebellandi. Et civitatis robur non positum sit in lapidibus, sed in præstanti fortissimorum civium virtute, qui pro aris ac focus, pro liberis & libertate, pro civitate & patria, pro fama ac vita forti-

DISSERTATIO

ter dimicant. Verùm ad majorem securitatem muri non parùm conducunt. Ideò antiquissimas etiam urbes muris cinctas & regiones propugnaculis munitas passim invenimus. Sic Babylonis muri in ambitu suo 385. stadia habuerunt; sic Hierosolymam non tantum arte; verùm & naturâ munitam testatur *Joseph. lib. 6. c. 6.* Addo quod muri etiam sancti & inviciables semper habiti, uti testantur *Marcianus in l. 8. §. 2. & Ulpian. in l. 9 §. 4. & Pompon. in l. ult. ff. de division. rerum.* Et expositæ sunt Nationes & Regna prædæ exterorum, si muratas non habeant urbes & arces, quare pro diverso Reipubl. statu diversa diximus; nam licet Democratix id periculosum sit, utile tamen erit Monarchix. *Vallum licet sit, fortior tamen erit concordia civium, manus DEI fortissima.*

POSITIO VII.

Sunt & carceres sancti, quos proinde effringere capitale est, quos definit *Bald. tract. de concern. n. 2.* quod sint loca publica horribilia reperta non ad poenam, sed ad facinorosorum custodiam: Et quamquam perpetui carceres Jure civili prohibiti sint, *l. aut damnum ff. §. solent ff. & l. incredibili C. de poenis. C. tamen Vetienum* quod sinistrae manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi abscidisset, publicatis bonis æternis vinculis puniendum Senatus censuit; effecitq; ut quem honestè spiritum in acie profundere noluerat, turpiter in catenis consumeret, *Valer. Max. l. 6. c. 3.* Domestici quoq;

quoque; carceres regulariter sub reatu criminis læsæ Majestatis prohibiti sunt, *l. un. C. de priv. carc.* An autem effracto carcere fugitivus hoc ipso pro confesso criminis habendus sit? quæstio non vulgaris est, & negativa verior. In Regno Neapolitano hoc ipso quod quis effracto carcere fugiat, incurrit poenam, ut per decenniū ad triremes condemnetur. *Bejold. in thes. pract. v. auso tretien.*

POSITIO VIII.

Religiosum locum quisque facit, qui in locum suum sive purum, sive humanis corporibus humanis destinatum infert mortuum, vel partem ejus principaliorē, puta caput. Quid si synciput ab occipite æqualiter divisum, quid item si per medium nasum deorsum discissum sit caput? quis tunc locus erit religiosus? Resp. priori illo casu facies religionem inducet, posteriori verò utrumque religiosum fore, qui tamdiu talis erit, quamdiu humanum corpus in eo perdurat. Unde Cenotaphia & monumenta sine corporibus humanis religiosa non sunt, quale nec fuerit amplius Caroli Martelli avi Caroli M. quia legitur in vita S. Eucherii & Rigoberti, post mortem ejus per Angelum revelatam fuisse visionem, cum ob factam divisionem bonorum Ecclesiasticorum inter milites in inferiori inferno torqueri; & in comprobationem ejus aperto sepulchro corpus non fuisse repertum, sed loco ejus Draconem exiisse.

B 3

Et

DISSERTATIO

14
Et licet *L. 12. tab.* sic scripta sit: *Hominem mortuum in urbe neve sepelito, neve urito*, ne sanctum municipii jus violetur; Hodie tamen passim in urbe, in coemeteriis benedictis, atq; in ipsis Ecclesiis sepelire mortuos receptum est. Inde quaeritur, an hodie praeterea locus aliquis datur religiosus? quod quidem negat *Schneidevv. ad §. religiosum Inst. de rerum divis.* in contrarium tamen est veritas, quia & locus juxta furcas & patibula religiosus est.

POSITIO IX.

AD res communes spectat aer & mare, & per hoc littus maris, unde cui lubet ibidem piscari, retia siccare, modo a villis & monumentis abtineat, jure concessum est: Et licet Hispanus & Anglus atque maritimi Principes sibi mare terris suis vicinum vendicent; non est tamen intelligendum de jure Domini, sed jurisdictionis. Unde Antonius Evdæmoni respondit: *Ego quidem Mundi Dominus: lex autem maris*, quod idem D. quoque Augustus judicavit *l. 9. ff. ad L. Rboaiam.* An autem Veneti se ab Imperii Romani jurisdictione ob id solùm, quod in mari ædificaverint, exemptosve jure dicant? quaestionis est, & negatur. Ad res publicas pertinent portus & flumina, non tamen omnia; neque aqua profluens, quæ est communis; neque ripæ quæ sunt juris privati. Quam quæ per immemorabile tempus habuit in superiori fluminis parte molendinum, possit prohibere, ne alius in loco inferiori novum extruat? An

necc

item is qui immemoriali tempore in superiori curavit
 macinari, possit cogi ut in futurum idem faciat? ne-
 gandum utrumque? nisi statutum aut aliquod aliud jus
 obstaret.

POSITIO X.

Universitatis res sunt, quarum proprietas certi a-
 licujus est corporis, puta Collegii aut Municipii,
 usus autem omnium, qui de illo sunt. uti theatra,
 stadia, forum, quod Censorius Cato, ne populus litibus
 assvesceret, acutis lapidibus sternendum putavit. Mar-
 cellus verò Octaviâ Augusti sorore genitus in ædilitate
 obumbravit, ut salubrius litigantes consisterent. Sin-
 gulorum sunt, quarum proprietas singulis acquisita,
 quæ tamen acquisitio non omninò jus illud, quod in
 primævo naturæ statu erat, absorpsit; In gravissima
 namque necessitate aliquatenus reviviscit, quia tunc
 communicatio rerum facienda, prius tamen omnimo-
 dè tentandum, an aliâ ratione necessitas evitari possit.
Lefs. l. 2. c. 12. dubit: 12. n. 70. Sic Plato ex vicini puteo
 ita demum aquam permittit, si quis in suo ad cretam
 usque foderit, & Solon, si in suo foderit ad cubitos 40.
 arbitrabantur inquit Plutarchus, subveniendum neces-
 sitati, non instruendam pigritiam, porrò ubi necessitas
 cessabit, restitutio facienda est. Enna inquit *Livius*
lib. 24. aut malo, aut necessario facinore retenta; Græ-
 ci, qui cum Xenophonte *de expedit Cyri. lib. 5.* erant,
 cum navibus omninò opus haberent, ipsius Xenophon-
 cis

tis consilio coeperunt transeuntes, quas finito bello intactis mercibus, ære pro usu datò, restituerunt.

POSITIO XI.

Distinctis sic rebus, sequitur, ut de modis earum dominium acquirendi dispiciamus, prout scilicet ex jure gentium descendunt. Dominium rectè definitur: esse jus de re corporali liberè & perfectè disponendi, nisi lege aut conventionem prohibeatur. Aliud est plenum, quod conjunctam habet cum proprietate utilitatem: aliud non plenum; Et hoc iterum vel directum, vel utile. Illud habet Dominus proprietatis, hoc is ad quem omne rei commodum & incommodum post traditionem factam spectat, quale habet Vasallus: Uti est respectu Regni Neapolitani Rex Catholicus, qui illud ab Ecclesia jure feudi tenet. *Menoch. Consil. 515. n. 24.* Item Emphyteuta sic dictus ab Emphyteusi, quod à Græco ἐμψυτεύειν descendit, & latinè inserere, seu implantare significat: quæ res suam traxit originem primam à Byzantiis. Cum enim hi exhausto ærario pecuniis indigerent, locarunt certâ mercede prædia publica, fertilia quidem ad tempus, sterilia verò in perpetuum, sub lege meliorationis & annuæ pensionis. *Arist. 2. Oeconom.* Est & aliquod dominium, quod summum seu superioritatis vocatur, seu ratione jurisdictionis seu tuitionis, quo fortè sensu dicitur Imperator Mundi Dominus, & rerum, quarum proprietas, ususq; singulorum est. Cognata Dominiis

minii sunt, quasi Dominium, quale habet bonæ fidei possessor, & jus in re specificum; quale est apud creditorem pignoris & omnem eum, cui servitus in re aliena constituta est.

POSITIO XII.

Modi autem omnes, quibus jure gentium acquirimus, ex tribus potissimum fontibus descendunt, scilicet Occupatione, Accessione, & Traditione. Per occupationem cedunt nobis feræ bestiæ, quas vel per aucupium, vel per venationem vel piscationem capimus, quæ eousq; nostræ permanent, donec se iterum innaturalem receperint libertatem, vel si circumatum fuerit animal, donec animum revertendi amiserit; Qui ex vivario aut roborario aut piscina conclusa quid tollit avertitq; animo lucranti, furti nobis tenetur. Aliàs non interest, quo in loco quis capiat, an privato aut publico, an in proprio aut alieno; dummodo quis fundum ingredi à Domino non prohibeatur. *Callistr. l. Divius 16. de S. R. P.* Sed quid si à loci Domino aut etiam ab ipso Principe venari aut piscari prohibet, quid capiat? Resp. adhuc capientem fore feræ Dominū: An ergò statuta prohibētia subditis venationes sunt injusta? nequaquam. Imò sæpè expedit prohibere. vid. *Vvesenb. ff. de A. R. D. n. 7.* quæ ratiōe hodiè in plerisq; terris Jus forestæ *Forstrecht* & venationis *Wildbahn*/inter quæ magne sūt differentiæ *Besold. thes. pract. l. F. v. Forst.* vel sibi soli Principes reservant, vel saltem non omnibus passim concedunt:

Primus acquirendi
modus est
occupatio

C

Et

Et rectè est adempta privatis venatio. (1) Propter pacem publicam & interdictum privatim armorum ulum, *l. unic. C. ut armorum usus in sc. Princ. interd.* (2) Ne venationis studio avocentur homines, ab agriculturâ & artificiiis, cum excolere agros & artificia multum intersit *Reip. l. 2. C. de feriis.* (3.) Ne species ferarum prorsus intereat, quas tamen publicè servari interest. (4) Quoniam Principes loca publica ad se transtulerunt, eorūq; Domini facti sunt, *l. 3. § l. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu.*

POSITIO XIII.

Circa jus istud forestæ mota est aliquando quæstio: an illi, qui debebant servitutem venationis & forestæ, possent in præjudicium istius juris arbores ad lubitum excindere, silvasq; redigere ad culturam? Verius est jure non potuisse, si servitus notabiliter deterioretur. Manendo in jure communi amplius quæritur, si Titius feram vulneret, capiatq; Sempronius, cujus illa sit? Resp. Sempronii. Sed quid si Titius posuisset laqueū in quem incidit aper, quem exemptum abstulisset Sempronius, quid tum juris? Resp. tunc teneri Titium ad restitutionem. Si canibus tuis excitasti leporem quem ego cepi; leporem excitasti, ut est in proverbio. Eleganter tractat Pomponius *l. 44. ff. de A. R. D.* Si pastori lupi eripuerunt porcum, quem vicinæ villæ colonus cum robustis suis canibus, quos pecoris sui gratia pascebat, iterum lupis extorsit, utrum eripientis porcus factus, an
Pastoris

Pastoris mansit? Videbatur eripiens jure venandi cum nactus. Deinde quod avis transvolans ex agro nostro transtulit, aut milvus avis rapacissima ein *Weyer* eripuit, nostrum esse definit: si igitur ore bestiae fuerit liberatum, occupantis erit, quemadmodum avis vel aper cum potestatem nostram evaserit, si ab alio capiatur, ipsius fit: Juris-Consultus tamen respondit Pastoris mansisse. Dicitur etiam Colonus lupam pregnantem tempore certaminis occiderat, statutumque habebat, ut pro lupo occiso daretur ex arario solidus, petiit ipse pro numero luporum, qui in utero erant, plures solidos. Quarebatur an rectè? Nos negassimus.

POSITIO XIV.

Jure quoque occupationis capta ab hostibus captivum sunt, eò quod turbando societatem humanam semidignos reddant, ut aut personis aut rebus eorum parcat. Et quamquam quidam cæcutientes dixerint omne bellum illicitum esse, propterea quod locutus sit DEUS ad Noe verba hæc: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* Genes. 9. Et Christus dixerit ad Petrum: *Converte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, Matth. 26.* Et alibi jusserit percutienti maxillam dextram præbere & sinistram. Pro certo tamen tenendum est, bellum non tan-

tum defensivum, sed & vendicativum, & punitivum, jure naturæ & divino licitum esse, modò à tribus regatur comitibus: autoritate legitimâ causâ justâ & intentione rectâ; neq; enim quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neqve stipendia sine tributis haberi queunt, inquit *Tacitus lib. 4. histor.* Sic justè pugnavit David contra Hanon Regem Ammonitarum, eò quod iste nuntiis illius dimidium barbæ & vestes usq; ad nates præsciderit. *2. Reg. cap. 10.* Sic etiam rectè geritur bellū contra Rebelles & Hæreticos, non tamen contra infideles hoc ipso, quod tales sint.

POSITIO XV.

Res ergò militares secum ferunt naturalem acquirendi modum, *Arist. lib. de Rep. c. 8.* tam mobiles, quam immobiles, uti & ipsorum hostiū personæ. Agri tamen non statim capti intelliguntur atque in se sunt. Itaq; Romani agrum extra portam, quem Hannibal castris insidebat, adeò non amissum judicabant, ut eo ipso tempore nihilominus venierit, quam ante venisset. *Livius lib. 26.* Retineri enim agrum per munita sub quibus situs est, dixit *Xenophon de vectigal.* Sic quoq; dixit Paulus Juris Consultus *l. postlim. ff. de capt. & postlim.* tum demum amitti hominem, ubi fines nostros excessit, & Pomponius captum bello explicat, eum, quem hostes è nostris ceperunt, & intra præsidia duxerunt, antequam enim in præsidia perducatur, civem manere

manere, *l. postlim. §. bello ff. d. t. ergo §.* Item ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt, cum continuatione aliqua possessionis intelligendum esse interpretamur.

POSITIO XVI.

Non cedunt tamen capientibus ea, quæ postliminium recipiunt, sed neq; ea, quæ hostiū non sunt, vel eorū, qui hostilis cum eis sūt animi sive re, sive consilio, sive foedere; Quare Athenienses rectè ostenderunt, Æschine referente, Amphipolim non cessisse jure belli Philippo, quia civitas ea non erat hostium Philippi sed Atheniensium. Jura ergo quæ dicunt res hostiles esse, quæ in navibus hostium repertæ sunt, de casu dubio accipienda. Atq; ita Holandos cum anno 1338. Ansiaticum flagraret bellum, in frequenti senatu judicasse refert *Hugo Grot. l. 3. c. 6. de J. b. & p.* Illa tamen, quæ hostis hosti suo jure belli ademit, à victoribus secundis repeti non possunt. Sic jure excepit Jephthes contra Ammonitas vendicantes agrum, quòd ager ille ab Ammonitis victis transfret ad Moabitas, & ab his ad victores illorū Amortheos, & ab his ad victores horum populum Hebræorum. *Jud. II.* Titus Largius in senatu contra Volscos, olim possessa repetentes, sic edixit: Romani nos honestissimas atq; justissimas credimus possessiones, quas belli lege captas habemus, neq; induci possumus, ut stultâ facilitate deleamus virtutis monumenta, si eas illis reddamur, quibus perierunt. *Dionys. Halicarnass. lib. 6.*

Idem jus expertus est Antiochus Pius de Syria, quam ei eripuerat quondam Tygranes à Romanis devictus, sic item eas partes Gallia, quas Galli eripuerunt Cimbris, Romani pro suis habuere.

POSITIO XVII.

Magnam cum occupatione ad finitatem habet inventio, illiusque veluti pars quaedam est: nam hac aequè ut illa res nullius, jure gentium protinus eorum fiunt, qui primum possessionem earum apprehenderint. *Paul. l. poss. 1. §. 1. de acquir. vel amitt. poss.* Et eodem jure nostri fiunt, si quos invenimus in littore maris lapillos, gemmas, succinum aut conchyliæ. Potuit tamen sine injuria Princeps Borussiae subditis prohibere, ne sine sua licentia succinum in littore maris colligant. Quæritur, quid si de duobus juxta mare ambulantis alter prius gemmam videat, alter verò citius præcurrens eam corporaliter occupet, cujus sit? Resp. Primò videtis cum animo habendi; quam si alibi invenerit, tenetur inquirere de Domino, cui inventor tenetur ad restitutionem, ita *D. Aug. Can. si quid. 14. Qu. 5. si quid invenisti & non restituisi, rapuisti; quantum potuisti, fecisti; quia plus non invenisti, ideò plus non rapuisti.* Et *D. Hieron. Multi sine peccato putant esse, si alienum quod invenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere;* discant ergo peccatum hoc esse simile rapinae & furtum committi, si quis inventa non reddat *Can. multi. d. 9. 5.* Idem obtinet de jure Saxon. quamquam poena ordinariâ non facile puniendus sit. *Posi-*

POSITIO XVIII.

Atribuit item jus gentium hominibus Dominium per Accessionem, quæ duplex est: vel naturalis vel industrialis, & iterum vel discreta vel concreta. Quod igitur ex animantibus nostris natū est, nostrum erit, siue rationalia illa sint, siue irrationalia. Quod si e qua mea ex tuo Cavallo concepit, hinnulus inde natus meus erit. Quod autem flumen publicum agro tuo adjecit, ut adverti non possit, quanto quoque temporis momento adjectum sit, tuum est; diximus publicum, quia hoc judicum & Censitorum vice fungitur, ut ex privato in publicum addicat, & contra *l. ergo 30. §. 3 ff. de A. R. D.* Si impetu repentino pars notabilis agro tuo adjecta sit, si item ligna & arbores in fundum tuum per flumen ejectæ sint, manent ejus, cujus ante fuerunt: si tamen Dominus earum vult tollere, damna per eas data rescire debet, & de infectis cavere. Quod si etiam portio terræ adjecta coaluerit, arbores item radices in novo fundo egerint, ejus erunt, cujus fundus, quæ in re rusticorum arbitrio standum erit.

POSITIO XIX.

Insula in mari nata cedit prius occupanti, quo modo Acanthos Insula deserta adjudicata est Chalcidonen- sibus, qui priores intraverunt, non Andriis, qui priores jaculum immiserunt. *Plut.* Si plures simul eam occupent, ejus erit, qui per triduum ibi perstitit: In flumine medio nata eorū est, qui propè ripam prædia possident,
pro

Secundus
Dominii ac-
quirendi
modus est
Accessio.

pro latitudine frontis agrorum. Quòd si alterius agris proximior sit, ad initium tota illius erit, etiamsi paulatim post medium flumen extendatur. Insulæ mobiles illius sunt juris, cujus est flumen. Consuetudo Germaniæ, inquit, *Noë Meurer / tract. von Wasser-Recht / p. 1. n. 8.* & post eum *Besold. in v. Insula, thes. pract.* attribuit Dominium Insularum Domino territorii, qui jurisdictionem in flumine habet, & solent tales insulæ, si præsertim juxta civitates positæ sunt, variis privilegiis donari, idq; ut in iis cives pacis tempore exerceant se in armis, ut dum bellum ingruit, eò aptiores sint ad resistendum hostibus: quæ res originem à Lacedæmoniis traxisse videtur, quorum institutū erat, ut juvenes & virgines cursu, luctâ, disco, & jaculo statis diebus concertarent, unde *Cicero 2. Tuscul. Illi, inquit, Græci formam rerum publicarum dederunt: corpora Juvenum firmari robore voluerunt: quod Spartiatae etiam in foeminas transulerunt, quæ cæteris in urbibus parietum umbris occultantur. Nicol. Crag. de Rep. Laced. lib. 3. inst. 4.* Quem agrum flumen in insulam redegit, is Dominium non mutat inundatus: hoc tamen casu possessio perditur, & inde est, quod juxta flumina tardius præscribatur agris.

POSITIO XX.

Pari ratione quod per accessionem industrialem accedit, cedit principalisquò pertinet specificatio, de qua si ex aliena materia fiat, acriter olim disputabant Sabinus, & Cassius ex unâ, cum Proculo; & Nerva

cx

ex altera parte: quæ lis domum à Justiniano decisa est, hac sententia, ut si materiæ potentia victa sit à forma, species nova pertineat ad eum, qui bonâ fide suo nomine speciem novam effecit; hic enim censetur dedisse esse rei per formam: si verò facile ad rudem materiam species facta reducibilis sit, maneat ejus, cujus fuit materia, *l. 7. §. 7. l. 24. ff. de A. R. D.* Sicut & ejus est, ex cujus spicis excussum frumentum, quamquam in spicas sit irreducibile. Qui invito Domino scienter ex aliena materia lucri faciendi animo novam format speciem, fur est, *l. 12. §. 12. ff. ad exhib.* veluti si ex alienis uvis mustum vel ex olivis oleum factum sit: minimè tunc ei, qui fecit, sed qui materiæ Domini est, acquiritur; quia, quod ex nostra fit, nostrum effici verius est, multoque magis si materia ad sua initia redire nequeat. Quod dictum de specificatione, extende similiter ad intexturam: si enim vestimento accessit purpura, etiam pretiosissima, & inserta sit annulo aut coronæ gemma, cedit coronæ aut annulo *l. 19. §. 13. ff. de aur. & arg. legat.*

POSITIO XXI.

Quibus casibus antiquis Dominis condictio furtiva superest, *l. 12. ff. de condict. furt.* sed non nisi adversus fures eorumque hæredes; Cæterum adversus alios actio ad exhibendū datur, modò res separationem patiat, uti contingit in applumbatura. **Q**uod enim

D

enim

enim per ferruminationem adjunctum est pro extincto habetur. Liquida, siquidem voluntate Dominorum aut casu & fortuito veluti incendio confusa sunt communia fiunt: Solida commixta casu, aut alterius voluntate tantum, manent priorum Dominorum, nisi commixtio transeat in confusionem. Jure accessionis industrialis cedit quoque ædificium solo, sopito interim materiae dominio, quamdiu solo cohæret juncta, ut nec rei vindictio nec actio ad exhibendum supersit. Tignorum enim junctorum exemptio *per L. 12. tab.* inhibita, ne sub hoc prætextu aspectus urbis, quem diligentius curabant veteres, deformaretur? Qua de causa prohibuit Senatus legare ea, quæ ædibus juncta sunt. *l. fin. C. de adif. privat.* Et vetitum à Constantino spoliata civitate ornatum ædium ad rura transferre, *l. 41. l. 114. de leg.* à fortiori prohibitum est propria autoritate, etiam ruinam dejectam domum in hortos convertere, *l. 6. C. de adif. priv.*

POSITIO XXII.

Habet autem Dominus Tigni adversus eum, qui id junxit actionem ambiguum de tigno juncto in duplum, *l. 1. ff. de tigno juncto*, circa quam disputatur; an & contra bonæ fidei possessorem detur? nobis placuit verior affirmativa *l. 23. §. 6. de R. V.* Qui scienter in alieno solo ædificat, quamquam de summitate juris videatur unà cum materia impensas perdidisse; verius tamen est necessarias eum posse repetere. Idem dic
de

de utilibus & voluptariis ex benignitate, idq; viâ vel retentionis, vel officio judicis nobilis, *l. plane 38. ff. de petit. hered.* Ex quo tamen non rectè inferes parem apud nos esse causam bonæ & malæ fidei possessoris. In eo namqve discrepantia est, ut bonæ fidei possessor omnimodè impensas deducat, licet res non extet in quam fecit, sicut tutor vel curator consequuntur, prædo autem non aliter quàm si res melior sit. *J. C. Paulus 1. l. 37.* Quæ ædificationis, eadem quoq; plantationis & sationis ratio est: in qua etiam superficies solo cedere intelligitur. Plantæ itaq; & arbores solum sequuntur in quo radices agunt; & quamvis ex horto meo arbori rami in tuum protendantur, fructus tamen tibi decerpenti jus non est; si qui tamen deciderint, eostertia die legere poteris, *l. 1. ff. de glande legenda.* Sicut & literas in charta tua scriptas, licet aureas, tuas dicere, quod pinxit seu Parrhasius seu Apelles in tabula alienâ vili, non est Domini tabulæ, *Justin. §. 34. Instit. de R. D.* Accessorium sequi principale & accidens substantiam, tralatitium est. Sed ut literæ aureæ cedunt vilissimæ chartæ, num & sic cedat pictura tabulæ, sine qua esse nequit? Respondetur quod non, licet accessio sit tabulæ, hæc tamen potius picturæ cedit, quàm pictura tabulæ *l. 9. §. 2. ff. de A. R. D.* Non enim videtur simplex tabulæ accessio, sed specificatio quædam formam tabulæ addens, ut non amplius tabula, sed pictura seu imago sit. Cur autem excipiatur pictura ab ista regula, ratio hæc est, (1) propter

pter picturæ pretium, quod non tam in substantia sive tabula, quam in arte ipsa positum est, & plerumque superat ipsius tabulæ pretium, *l. mulieris* 13. §. 1. & *l. La-beo* 14. ff. de V. S. Indignum utique esset in accessionem vilissimæ tabulæ præstantissimam Apellis picturam, qualem trecentis amplius talentis i. e. 1800000. aureorum Rex Attalus licitatus est, cedere. (2) Propter privilegium pictoribus specialiter indultum, quo pictoria ad se trahat tabulam, *l. in rem* 23. §. sed & ff. de R. V. Denique quia liberalium artium professores pictores exæquantur, ideò propter artis præcellentiam, ejusque peritiam à communi regula nonnunquam recessi solet. Quid si pictor possideat tabulam? tunc Domino tabulæ utilis conceditur vindicatio; Ita tamen ut exceptione doli, si pretium picturæ solvere nolit, submoveatur.

POSITIO XXIII.

AD hanc quoque classem non inconvenienter referri potest jus possessionis & fructuum perceptionis, quo & ipso dominium per accessionem naturali jure acquiritur. Itaque qui bona fide fundum aliquem possidet, fructus ab eo quomodocumque perceptos suos facit sive civiles sint, sive industriales. Sed quid de naturalibus veluti pratorum aut sylvarum tantum dicemus? Nos contra Donell. & hos bonæ fidei possessori adjudicamus *l. 48. ff. de acquir. rer. Domin.*
Et

Et quidem si consumpti irrevocabiliter ; Si in natura aut pretio extant, revocabiliter. Pendentes pars sunt fundi & cum ipso fundo vindicari possunt, ut proinde emens fundum nullâ factâ mentione fructuum eos hoc ipso simul emptos esse dicendum sit. Malæ fidei possessor tenetur ad restitutionem tam perceptorum, quàm non perceptorum, modò percipi potuerint honestè boni patrisfamilias exemplo ; sed & eorum, quos inhonestè percepit, sicut & hæres ejus restituet, nam huic quoque turpe lucrum extorquendum est.

POSITIO XXIV.

IN qua fructuum materia differentia est inter bonæ fidei possessorem & usufructuarium : hic enim non aliter fit fructuum Dominus, quàm si ipse vel alius eos suo nomine perceperit. Ille quomodocunque perceptos facit suos. Imò & pendentes transmittit ad hæredes, quod tamen distinctionem recipit quoad fructus civiles, nam & hi pro rata temporis usufructuario cedunt. Qu. quid si fructuarius uno ante collectos fructus die obierit, an non tunc saltem hæres ejus maturos congregabit ? nequaquam. Sed an nec repetet expensas ? etiam negamus, quod tamen recipit distinctionem.

POSITIO XXV.

ET quoniam secundum naturam est cum manere onus quem commoda sequuntur, idcirco ad fructuarium pertinet rem sartam rectam conservare, atque si gregis aut pomarii usufructus relictus sit, in locum demortuorum capitum, alia substituere, & pro arboribus quæ perierunt alias ex seminario reponere; hoc enim boni patrisfamilias est: pendit item tributa, modo usumfructum non absorbeant. Quod si legatus sit usufructus singulorum capitum, interitus eorum nocet Domino proprietatis. Quamquam etiam ad fructuarium gregis, aut armenti pertineant vituli & agni; non tamen spectant ad usufructuarium hominum partus ancillarum. Inhumanum enim & absurdum judicabatur, dicere quod homo in fructu sit, cum ejus gratia omnia natura produxerit, juxta quod obtinuit sententia *Bruti l. vetus 68. ff. de usufructu*, ratio rationis est summa hominum dignitas quam exprimit *l. 44 ff. de Ædil. Edicto*.

POSITIO XXVI.

Jure præterea naturali cedit inventori thesaurus, qui definitur esse vetus depositio pecuniæ, cujus memoria non extat, ita ut Dominium non habeat. Jure autem civili statutum est, ut inventus in proprio totus cedat inventori, idem si in sacro aut loco religioso: si vero
in

in alieno, sive is sit principis sive civitatis sive privati, dimidium assignatur inventori & dimidium Domino loci, ad quod tenetur inventor non tantum in foro soli, sed & foro poli ante omnem Sententiam. Si malis artibus inventus est, fisco applicatur, & si datâ operâ invito Domino in alieno, totus Domino loci tribuitur, sed demum per sententiam, quia nemo invitus tenetur pati per fodi possessionem suam, unde antequam Hispani fierent Domini Indiarum, rectè poterant ab incolis impediri, ne venas argenti & auri in terris illis scrutarentur. *Sorus lib. 5. q. 3. art. 3.* Si Emphyteuta aut Vassallus invenerit in loco Emphyteutico vel feudali totum habebit. *Per l. 1. C. de jure Emphyt. junct. l. 10. de R. 7. Schneidew. Fab. n. 4. Myns. n. 7.* Si vero Maritus in fundo dotali aut creditor in fundo oppignorato, dimidium habebunt, jure inventionis. Extra dubium quoque est, quod qui heri domum mercatus, hodiè in ea thesaurum invenit, illius efficiatur Dominus, non ut portionis domus, sed rei extrinsecus accedentis, nihilq; cum domo commune habentis, *arg. l. possideri 3. §. Neratius 3. de acquir. poss. vid. Zinzerling.* *Jct. eximius & Dicasterii Megapol. Adessor, in dissertat. sua de Thesaur. tb. 33. ubi plurima hanc in rem exempla elegantissima enumerat.*

POSITIO XXVII.

FRidericus Imperator thesauros & argentarios retulit inter Regalia Imperatoris, an autem id jure facere potuerit multi negarunt: nos citra omnem adu-

adulationem id Principi jure meritoque licuisse, accedente præsertim causâ pro veritate, propugnamus, prout nec Plato contra jus naturæ peccavit, qui super invento thesauro Magistratibus indicium fieri & oraculum consuli voluit; Sed neq; Apollonius qui eum adjudicabat illi, qui ipsi optimus videbatur: & de liberalitate sua laudandus *Carolus IV.* qui inter alia privilegia Regi Bohemiæ jus auri & argentifodinarum cæterorumque metallorum concessit, *aurea Bulla. §. præsentibus. Jure Saxonum cautum est: Daß alle Schätze unter der Erden begraben / tiefer denn ein Pflug gehet / zur Königlichen Gewalt gehören / lib. 1. art. 35.* quem textum de metallifodinis interpretatur *Summus Saxonici juris Defensor Serenissimus Saxonie Elector in part. 2. Const. 52.* Hæc tamen metallorum jura ad thesauros extendenda non sunt; nec jura thesaurorum & metallorum confundenda. In Turcia capitale est inventum thesaurum Imperatori non insinuare.

POSITIO XXVIII.

Tertius ac-
quirendi
modus est
Traditio.

ULtimus acquirendi jure gentium modus est Traditio, quam optimè definieris; Translationem possessionis: quæ secum translationem Domini trahat, 4. requirit. Potestatem ex parte transferentis, voluntatem tam in accipiente, quam dante, titulum, & rem quæ alienabilis sit, qualem veteres mancipi vocabant, cujus generis erant res omnes Italicæ. In provin-
ciis

ciis prædia stipendiaria & tributaria nec mancipi vocabantur, & ideò nec alienari poterant, quod hodiè mutatum, statutumq; ut cum suo transeant onere, in quemcunq; possessorem. Pendebatur autem stipendium populo & tributum Principi, ratione cujus fiscus habet tacitam hypothecam.

POSITIO XXIX.

Speciale illud in venditione est, quod sola traditio ex hac causa non transferat Dominium, nisi prius pretium numeratum fuerit, vel fides de eo, sive pignore sive fidejussore habita fuerit, aut alio quocunq; modo creditum, quia venditor fide de pretio non habitâ tradens non aliter quàm sub hac conditione, si pretium fuerit solutum, Dominium transtulisse censetur *l. 34. pr. in fin. ff. de acquir. poss.* Ex quo tamen noli inferre ante numerationem pecuniæ contractum emptionis imperfectum esse. Venditor, qui rem quidem exportari permisit, sed unà nuncium adjunxit, qui pretium referret, fidem emptoris hoc ipso secutus non est. Traditio ficta, quæ intervenisse fingitur & contingit per translationem clavium, pilei, capistri, idem operatur quod traditio vera. In incorporalibus traditionis loco est patientia, ante quam præstitam pro jure, non nisi actio personalis, nequaquam autem confessoria competit.

POSITIO XXX.

Est & instar traditionis projectio missiliorum olim à Magistratu fieri solita, postea à Martiano Imper.

E
pro-

prohibita, l. 2. C. de Consul. & iterum deinde permiffa à
Justiniano Novell. 115. Hodie in inaugurationibus Prin-
 cipum ufitata, ut proinde quantum quisq; ex hac caufa
 occupaverit, tantum habiturus fit. Similiter & is, qui
 rem pro derelicto habitam occupat, ejus fit Dominus,
 non tamen femper, five mobilis fit, five immobilis. Qui
 res naufragorum five perituras, five non perituras invi-
 tis Dominis detinet, fur eft, & in periculo confiscationis
 bonorum, *Auth. navigia. Cod. de furt.* & jure Canonico
 infuper, nifi ablata reddiderit, excommunicationi sub-
 jacet, c. 3. *Decret. de raptor.* Confuetudo, quâ bona talia
 fifco applicantur, vel occupantibus relinquuntur, irra-
 tionabilis & injufta eft, qualis olim erat apud Anglos, Si-
 culos & Danos, apud quos eam abrogavit Christianus
 Rex, qui dicebat: Ob hoc fibi periiffe annua 100000.
 aureorum, quibus tamen carere maluit, quam piscari in-
 juftum lucrum. Quod enim jus habeat in aliena calami-
 tate, & quâ ratione in re tam luçtuofâ compendium fe-
 ctetur? quærit *Constantinus l. 1. C. de naufrag.* & *Euripi-
 des. Sum naufragus, inquit, fpoliare hoc genus eft nefas.*

Tantum ea, quæ exercitii gratia pro nunc pofita
 funt, fufficiant: Omnia enim attingenda non funt, nec
 etiam attingi poffunt l. 6. ff. de offic. Proconful.

 F I N I S.

Emendanda:

Pag. 4. lin. 19. Lege, Sit POSITIO. deletò puncto. p. 17. l. 13. lucrandi. p. 24.
 l. 24. mutat, ficut nec mutat p. 25. l. 1. demum. p. 30. l. antep. Dominum.



UT justè *adquiras*, veniunt quæ nomine
RERUM,

En, Tibi RICHTERUS gnauiter exposuit;
Applaudo, RICHTERE, Tuo, gratorq; *Labori*
Ingenuo pariter, docta q; cœpta probo;
Invigila porrò Themidi, stat conscius æther,
Adspiret velis aura secunda Tuis.

*Eximio Dn. AUTORI doctæ Dissertationis
gratulatur Dresde*

SEBASTIAN Schubart/
J. U. D.

DOminia rerum quomodo acqvirenda
sint,

RICHTERE, dum tu differis
Bellè, inde clarum nomen acqviris Tibi:
Quod hisce paucis gratulor.

Friedrich Weissenborn/
J. U. Licent.

E 2

Diffi-

Difficilis Studio te deterrere Juventus,
RICHTER E, haud potuit, Sorsq;
molesta diu:

Sed magis adversis crevisse exercita visa est,
Et Musas, Virtus, hinc adamasse, tua;
Quas alacer proin haud unâ regione secutus,
Doctrinae auxisti non simulanter opes.
Inde suis cepit cupidè Te amplexibus, atqve
Legifera edocuit Jura sacrata Themis.
Id probat hoc Specimen, dias in luminis oras
Quod profers, Famæ non sine flore tuæ.
Maacte animi! Sic perge agedum! Tibi Gloria
major

Mox surget fructu nobilitata suo.

Christianus Daumius,
Scholæ Cygn. Rector.

D*E*curret campos variò sub scemate rerum
Juris, amice mihi, sic tua culta Themis,
Gaudeat ut ditis sibi cognita ripula rivi
Gratatura: Forò laudeq; major eris!

Adscrib. Reichenbachii d. 19. Sept. 1678.

Paulus Marchhard/ Jur. Pract. & Jud.
Nob. Director.

Scri-

Scripta polita placent Musis. RICHTERE
placebis
Doctis, qui cupiunt noscere docta tua.

DN. AUTORI

*Amico suo veteri & in augustissima Academia
Viennensi Commensali ac Contrubernali
exoptatissimo, hoc quicquid est, L. M. Q.
apponere voluit Dresda*

Joh. Joachim Maier, J.U.Cand.

& h. t. Serenissimi Ducis Saxo-Lauenburgensis
Secretarius Raxeburgi.

Olim nullus erat Dominus; aequae patebat
omnibus imperium: Saturnia secla vigeant.
Tunc signare quidem aut partiri limite campum
turpe erat, in medium querebant cuncta coloni:
Utpote sancta fides, mens simplex nescia fraudis
tunc animis hominum residebat & inclita virtus.
Rerum aet sacra fames, sitiens atq; ardor habendi,
dic quae so! quo non mortalia pectora cogis?
Facta stas hinc temporibus divisio rerum est,
ut nunc quisq; suum proprium velit esse subinde:
Inde Magistratus veneratus, iuraq; lecta,
& viget in terris Dominus, Rex atq; Tyrannus.
Jam laqueis captare feras non cuiq; potestas,
nec tentare Thetyn ratibus. Jam cingere muris
oppida mos valuit, quin ponere limina campis.

Quid

Quid mirare statum variatum? desine, dira
tempora, ferrati sic exegereq; mores.
Cuncta hac exposuisse satis conamine raro
Te RICHTERE iuvat Themidos cor amabile Divæ
Et per dilecti cordis bona portio nostri,
quò Te per celebrem fecisti Et abunde probasti
non sterilem filicem Tibimet dominarier arvis;
Quin voluisse diu spaciola volumina juris.
Sis felix, semperq; tuum levet ipsa laborem
Clara Themis, meritos det Justinianus honores.

Φιλίας ἔνεκεν

fec.

Tobias Vogel/Med. Pract.

Egregium facinus præstas, sic itur ad Astra:
Ad famam, laudes, non peritura bona.

Ita

Amico ex consuetudine quondam in Gallia adaman-
do atq; è paucis Insimo de erudito Specimine
gratulatur

Ludovicus Stoer.



ULB Halle
006 682 162


3



VON







B.I.G.

Farbkarte #13

1678, 23

4-
4

TATIO
ISTORICA,

DIVISIO.

IS EARUM
M ACQVI-
DI.

& gentium descen-
passim receptum,

oritate inclytæ
æ Lipsiensis,
æ & placidæ

Martensteiniô-Misn.

gr. Reichenbachi.
is
XVIII.

E Æ,
IS EBELL.

